

213.



Disputatio VII.

DE SERVITVTIBVS VRBANORVM
& rusticorum prædiorum.

QVAM,

Deo clementer adiuuante,

SVB PRÆSIDIO

CLARISSIMI,
CONSULTISSIMI QVE
VIRI, DN. HENRICI BOCE-
RI, IC. ET IN ILLVSTRI TVBINGEN-
sium Academia Antecessoris celeberrimi, Præceptoris
sui summa obseruantia co-
lendi:

ORDINARI EXERCITII GRA-
tia, hora locoq; consuetis,

Discutiendam proponit

M. Michaël Beringer Vlbachensis,
Hebrææ linguæ Professor.



TVBINGÆ,

Typis Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

9

Disputatio VII.

DE SENECTUTE VITAE
& rationum rationibus

Doctores et abhinc

GEORGIUS
CONSVLTISSIMUS
VIRI DNI HENRICI BOG
R. IC. ET ILLVSTRIS
SVM Academiæ Anthonii
Solutio

ORDINARIUS EXERCITII GRA

M. N. Mich. Hebing

Typis Georgii Gröppenbachii

ANNO M. DC. LXXI.



Disputatio VII.

DE SERVITVTIBVS VRBANORVM
& rusticorum prædiorum.

THESIS I.

DE POSSESSIONIS, DEQVE PROPRIETATIS dominio hæctenus: succedit modò Iuris dominium. (a) Dominium Iuris est, quo res quædam incorporalis nostra est: veluti dominium seruitutis realis, vñ usufructus, Iurisdictionis, iuris regalis, emphyteusis, feudi & c. (b)

a) Has dominij species tres proposuimus thesi 3. disp. 2. huius Cl. 4. (b) Iuris quoq; dominium esse, puta rerum incorporalium, veluti seruitutis, usufructus, & c. patet ex l. 4. in pr. ff. si seru. vind. l. semper. 15. §. ergo nonnunquam. 8. ff. quod vi aut clam. alijsq; ex locis, & tradit Iohan. Robert. lib. 3. sent. cap. 18. item Dn. Vulteius, discept. schol. c. 19. & Gæddeus ad l. rectè dicimus. 25. n. 7. & ad l. bonorum. 49. n. 8. ff. de verb. signif.

II.

Seruitus est ius (a) in re aliena (b) vindicabile, (c) quo nobis constituto, ipsa res vtilitati (d) nostræ gratis (e) seruit.

a) §. incorporales, & §. vlt. Inst. de reb. corpor. & incorp. (b) Sua enim res nemini seruit. l. in re. 26. l. cum essent. 33. §. vlt. ff. de seruit. rustic. præd. l. 5. ff. si usufr. pet. l. si quis. 30. ff. de seruit. præd. urb. (c) Seruitutis constitutæ vindicatio est, l. 2. l. 4. §. in confessoria, & tot. tit. ff. si seru. vind. l. 5. §. vlt. & tot. tit. ff. si usufr. pet. Et hoc differt seruitus ab alio iure, quod nobis in re aliena competit, quale ius est, quod in re nobis commodata, locata, & c. habemus. (d) l. quotiens. 15. in princ. ibi, quia nihil vicinorum interest. ff. de seruit. (e) Hac voce gratis distinguitur ab emphyteusi, antichresi, & c. Comparatur quidem etiam precio seruitus, verùm posteaquam constituta est, gratis res nobis seruit.

III.

Est ergò seruitus quædam corporis qualitas, (a) quæ etiam in amœnitate consistere potest. (b)

a) l. traditio. 20. §. 1. ibi, tale transfertur, quale fuit. iuncto vers. si seruus fuit fundus. ff. de acquir. rer. dom. l. quid aliud. 86. ff. de v. s. l. qui fundum. 12. ibi, fundus qualiter se habens. ff. quem. seru. am. (b) l. 3. in pr. ff. de aq. cott. & est. l. vt pomum 8. in pr. ff. de seru. Sed obstare videtur, l. ei fundo. 19. ff. de seruit.

q 2

Est



CLASSIS IIII.

IIII.

Est autem duplex seruitus; rerum, & personarum. (a) Illa dicitur etiam seruitus in rem, (b) item prædiorum seruitus. (c) Hæc appellatur quoque personalis seruitus, (d) item seruitus in personam, (e) & hominum seruitus. (f)

a) *l. 1. ff. de seruit.* (b) *l. Gaius. 12. ff. de ann. leg.* (c) *l. quotiens. 15. in pr. ff. de seruit.* (d) *l. non solum. 8. §. tale. ff. comm. præd.* (e) *d. l. Gaius, 12. ff. de ann. leg.* (f) *d. l. quotiens. 15. ff. de seruit.*

V.

Seruitus rerum est, quæ ab alieno prædio principaliter nostro debetur prædio. (a) Eaque simpliciter in libris nostri iuris seruitus appellatur, & usufructui opponitur. (b)

a) *l. 1. §. 1. ff. com. præd. §. ideò autem hæc seruitutes. Inst. de seruit. præd. Vtrinq; igitur hic prædium requiritur.* (b) *§. vlt. Inst. de reb. corp. & incorp. d. l. semper. 15. §. ergò nonnunquam. ff. quod vi aut clam. t. t. ff. de seru. leg. iuncto tit. de vsu & usufr. leg.*

VI.

Vt ergò liceat alicui pomum decerpere, vel spaciari, aut cœnare in prædio alieno, realis seruitus constitui non potest.

l. vt pomum. 8. in pr. ff. de seruit.

VII.

Seruitutis rerum id etiam proximum est, quòd eius causam oportet esse perpetuam; (a) Id est, naturalis, certa & constans eius conditio esse debet. (b)

a) *l. foramen. 28. ff. de seru. præd. urb.* (b) *l. 1. §. 2. ff. de aq. cott. & æst. Cuiac. 11. obseru. 3.*

VIII.

Est & illud huius seruitutis proximum, vt prædium, cui constituitur seruitus, vicinum sit, & confine prædio illi, in quo constituitur seruitus.

l. Mela ait. 14. §. vlt. ff. de alim. leg. l. ergo. 5. §. 1. ff. de seruit. rust.

IX.

Porrò circa prædiorum seruitutem triplex inspectio incurrit; Vna de speciebus huius seruitutis; altera de eius constitutione; tertia de illius amissione.

X.

Species huius seruitutis duæ sunt: Est enim vel prædiorum rusticorum; vel urbanorum prædiorum.

Inst.

Inst. tit. de seruit. rust. & vrb. præd. De illa est t. t. ff. de seruit. præd. rust. De hac est t. t. ff. de seruit. præd. vrb.

XI.

Rusticum prædium ab urbano, non loco differt, sed materia, id est, qualitate & forma, quam finis & usus arguit. Omnia enim ædificia dicimus urbana prædia, non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed et si forte stabula sint, vel meritoria in villis, & vicis, & prætoria voluptati tantum seruiencia.

l. urbana prædia. 198. Vbi vid. Alc. & Gædd. ff. de V. S. l. 1. C. comm. præd. §. prædior. Inst. de seruit. præd. Et facit l. urbana familia. ff. de V. S. Obstat l. 2. ff. de seruit. rust. præd. l. eo iure. 4. ff. in quib. caus. pig. vel hypoth.

XII.

Seruitus prædij rustici est, quæ ab alieno prædio debetur prædio nostro rustico. Æstimamus enim prædiorum seruitutes ex qualitate prædiorum, quibus debentur, non a seruis prædij.

Capolla de seruit. vrb. præd. c. 11. n. 10.

XIII.

Eiusmodi seruitus est, iter, actus, via, aquæ ductus, (a) pecoris pastus, ius calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, & c. (b)

a) *l. 1. ff. de seruit. præd. rust. & tit. Inst. de seruit. in pr. (b) §. inter rusticorum. Inst. d. t. l. 1. §. in rusticis. l. 2. 3. 4. 5. 6. ff. de seruit. rust.*

XIII.

Iter est ius per prædium alienum eundi, ambulandi homini; (a) quorum illud principaliter, hoc per consequentiam debetur. Et ius eundi utilitatem prædij respicit, sed ius ambulandi, hominis utilitatem spectat. (b)

a) *d. l. 1. de seruit. rust. & §. 1. Inst. de seruit. præd. (b) Cuiac. in not. post. ad d. t. & 22. obs. 35.*

XV.

Ire autem non tantum dicitur, qui pedibus it, sed etiam qui sella, lectica, aut equo incedit.

l. qui sella. 7. l. inter. 12. ff. de seruit. rust.

XVI.

Latitudo itineris iure communi certa & definita non est, sed ea est, quæ demonstrata, vel ab arbitro est definita.

l. certo generi. 13. §. latitudo. ff. de seruit. rust.

XVII.

Actus est ius per prædium alienum agendi iumentum vel vehiculum, (a) principaliter; per consequentiam verò est etiam ius eundi & ambulandi homini. (b)

a) *l. 1. ff. de ser. rust. §. 1. Inst. de ser. præd.* (b) *Cui. 22. obs. 35. Duar. 1. disp. c. 31.*

XVIII.

Aliquando tamen actus est sine itinere.

l. loci. 4. §. 1. ff. si seruit. vind. Cuiac. 13. obs. 12. & tr. ad Afric. 8. in explicat. l. 26. ff. de except. Vide quoq; Ant. Fab. lib. 1. coniect. 20.

XIX.

Actus latitudo similiter ea est, quæ est demonstrata: quòd si de ea nihil dictum sit, ab arbitro statui debet.

d. l. certo. 13. §. latitudo. ff. de seruit. rust.

XX.

Via est ius per prædium alienum eundi & ambulandi homini, & agendi iumentum vel vehiculum, (a) principaliter scilicet & nominatim concessum. (b)

a) *d. l. 1. ff. de ser. rust. & §. 1. Inst. de ser.* (b) *Cuiac. in notis posterior. ad d. t. & lib. 22. obs. 35. Duar. 1. Disp. cap. 31.*

XXI.

Est autem viæ latitudo legitima ex 12. tab. In porrectum octo pedes habet; in anfractum, id est, ubi flexum & curuum est, sedecim; (a) quo solo viam ab actu Robertus Aurelianensis distinguit, (b) sed male. (c)

a) *l. via. 8. ff. de seruit. præd. rust.* (b) *lib. 4. sent. c. 5.* (c) *Quæ enim specifica differentia sit viæ, explicat thesis præcedens. Vide Capoll. de ser. rust. præd. c. 3. n. 2.*

XXII.

Etsi verò ea sit legitima viæ latitudo, à partibus tamen alia dici potest.

d. l. certo. 13. §. latitudo. ff. de seruit. præd. rust.

XXIII.

Non est hoc loco prætereundum, quòd si quis fundum confinibus ita circumdatum habeat, ut ad eum colendi illius causâ venire non possit, iudici incumbat, cogere confinem, ut accepto legitimo precio, aditum confini ad eiusmodi fundum concedat.

Arg. l. vlt. in pr. ff. de ser. vrb. l. testatrix. 20. in pr. ff. si ser. vind. l. seruum 24. §. fin.

DISPUTATIO VII.

287.

fin. ff. de leg. 1. l. damnus esto. §. 1. ff. de usu & usufr. leg. Mauser. in praxi. §. item si quis petat. viam. de seru. Pap. lib. 14. Raph. Arest. tit. 1. arest. 3.

XXIII.

Aquæ ductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum, (a) ad certi alicuius fundi dominantis usum pertinens, ut aliò duci aqua non possit. (b)

a) *l. 1. ff. de seru. præd. rust. & §. 1. Inst. de seruit.* (b) *l. ergò §. in fin. & l. pen. ff. d. t. l. 1. §. præterea. ff. de aq. cott. & æstiu.*

XXV.

Quòd si destinata ab initio non sit pars fundi, per quam ducatur aqua, totus fundus seruit.

l. si mihi. 21. ff. de seru. rust.

XXVI.

Aquæ haustus est ius aquæ hauriendæ ex flumine, fonte, aut viuo puteo alieno, quatenus ad fundum cui id ius debetur, opus est.

l. 5. & l. seq. ff. de seru. præd. rust. Azo in summa Cod. tit. de seru. & aqua. Cuiac. 3. obs. 28. Ex publico flumine absq. seruitute aquam haurire licet. l. 3. §. fin. ff. de seru. rust. modò eius fluminis usus deterior inde non fiat. l. 2. ff. de flum. l. si autem. 11. §. fin. ff. de aqua & aq. plu. arc. De fonte ex lacu, piscina, puteo, si aquam viuam non habeant, aquæ haustus concedi nequit. l. 1. §. loquitur. ff. de aq. cott. & æst. Cuiac. 11. obs. 3.

XXVII.

Hac seruitute concessa, iter quoque ad eum locum videtur concessum.

l. 3. §. vlt. ff. de seru. pr. vrb.

XXVIII.

Pecoris ad aquam appulsus est ius ad vicini aquas appellendi pecoris, eius adaquandi causâ.

l. 4. & l. seq. ff. d. t. l. 1. §. Trebatius. ff. de aq. cott. & æst.

XXIX.

Quòd si in huius seruitutis constitutione de certo pecorum numero dictum sit, & conuenerit, ampliorem quis appellere numerum non potest.

d. l. 1. §. Trebatius. ff. d. t.

XXX.

Quòd si prædictæ seruitutes non fundo, sed personæ constituantur, personales non reales erunt seruitutes.

l. 1. ff. de usu & usufr. leg. l. pen. ff. de seru. leg.

Seruitus

XXXI.

Seruitus pascendi pecoris est ius pascendi pecus in fundo alieno, prædij dominantis causâ constitutum.

Capoll. de seruit. rust. præd. c. 9. Vvurmser. lib. pract. obs. tit. 27. de seruit. obs. 4. Hart. Hartmanni ab Eppingen lib. pr. obs. tit. 23. obs. 4.

XXXII.

Quòd si quis non habeat vicinum fundum, cuius causa pecoris pascendi seruitus constituta sit, non realis, sed personalis est seruitus. (a) Quinimò potest quandoq; hæc seruitus esse, non rustica, sed urbana. (b)

a) *l. 4. vbi Gl. & Dd. ff. de ser. rust. l. si quis vnas. 32. & ibi gl. ff. de vsufr. Hart. Hart. ab Epp. d. obs. 4.* (b) *Capoll. de ser. rust. pr. c. 9. n. 5.*

XXXIII.

Seruitus coquendę calcis est ius coquendi calcem in fundo alieno.

Cap. d. tr. de ser. rust. c. 10.

XXXIII.

Seruitus arenę fodiendę est ius fodiendi arenam in fundo alieno. (a) Cui seruituti proxima est seruitus eximendę cretę. (b)

a) *Cap. d. c. 10.* (b) *l. 5. §. 1. ibi, cretę eximendę. ff. de ser. rust. pr.*

XXXV.

Sed eatenus hæc seruitutes sunt prædiorum rusticorum, quatenus illis ad ipsum fundum vicinum opus fuerit: veluti si figulinas quis haberet, in quibus ea vasa fierent, quibus fructus eius fundi exportaretur: sicut in quibusdam locis fit, vt amphoris vinum euehatur; aut dolia fiant, vel lapides coquantur ad murum in villa extruendum.

l. 5. §. 1. & l. seq. ff. de ser. pr. rust.

XXXVI.

Quòd si in vsum prædij rustici non sint comparatę hæc seruitutes, vel personarum seruitutes sunt, vsusfructus scilicet, (a) vel sunt seruitutes prædij vrbanı, puta si domo debeantur. (b)

a) *l. 6. in pr. vers. sed si. ff. d. t. litem si fundi. 9. §. 2. ff. de vsufr.* (b) *Cap. d. c. 20. n. 1.*

XXXVII.

SEQUITUR DE SERVITUTE VRBANORVM PRÆDIO-
RVM. Seruitus vrbanı prædij est, quæ ab alieno prædio debetur nostro vrbanı prædio; veluti ædificijs: (a) cuiusmodi seruitus est oneris ferendi, seruitus tigi immittendi, seruitus stillicidij auertendi, seruitus

uitus stillicidij non auertendi, seruitus fluminis auertendi, seruitus fluminis non auertendi, seruitus altiùs ædes non tollendi, seruitus ædes altiùs tollendi, seruitus non officiendi luminibus, seruitus prospectus, siue ne prospectui officiat, &c.

§. item vrb. Inst. de seruit. l. 1. 2. 3. 4. ff. de seru. vrb. præd. §. æquè. Inst. de action.

XXXVIII.

Seruitus oneris ferendi est ius, quo columna vel paries vicini onus nostrarum ædium ferre tenetur. Cuius seruitutis proprium est, quòd qui eam debet, columnam vel parietem suum reficere cogitur.

l. eum debere. 33. ff. de seru. vrb. præd. l. etsi. §. etiam. ff. si seru. vind.

XXXIX.

Seruitus tigni immittendi est ius, quo vicinus trabem ex ædibus suis in vicini ædes immittere, id est, porrigere potest. Vulgo dicitur, *Tramrecht*.

l. hoc quod dictum. 25. ff. de seruit. vrb. l. sicut. 8. §. competit. ff. si seru. vind. Vide Zas. in parat. ff. de seru. præd. vrb. Cap. de seru. vrb. c. 30.

XL.

Seruitus stillicidij auertendi est ius, quo vicinus aquam, quæ de cælo in tectum cadit, in ædes, vel aream, vel cloacam vicini auertere siue deriuare potest.

§. item vrb. Inst. de seru. l. 2. ff. de seru. vrb. præd. Cap. de seru. urb. c. 28. Vid. l. seruitutes. 20. §. si sublatum. & §§. seqq. ff. d. t.

XLI.

Seruitus stillicidij non auertendi est ius, quo vicinus stillicidium suum in aream vel cloacam vicini auertere prohibetur: cum fortè ex lege vel consuetudine loci vicinus stillicidium vicini recipere tenetur.

§. item vrb. Inst. de seruit. d. l. 2. ibi, aut non auertendi. ff. de seruit. præd. vrb. quæ loca ita cum Donello lib. 11. comment. c. 5. pag. 572. interpretamur. Sed vide Theoph. Cuiac. & Vuesenb. ad d. §. item vrb. & Duar. ad tit. ff. de seru. præd. vrb. Item Capoll. d. c. 28.

XLII.

Seruitus fluminis auertendi est ius, quo vicinus pati cogitur, vt aqua pluuia in canalem vel aluenum vicini plumbeum, vel ligneum recepta, in suas ædes, aream vel cloacam cum imperu feratur.

d. l. seruitutes. 20. §. stillicidium. ff. de seru. præd. vrb. Theoph. Hotom. Vuesenb. ad §. item vrb. Inst. de seruit. Sed vide Connan. lib. 4. comment. c. 4. n. 3. in fin.

XLIII.

Seruitus non auertendi fluminis est ius, quo vicinus flumen, id est, aquam collectam per canales in nostram aream, vel cloacam contra legem vel consuetudinem loci auertere prohibetur.

§. item urbanorum. Vbi vide Theoph. Hotom. Vuesenbec. & alios. Instit. de seruit. l. seruitutes. 20. §. stillicidium. ibi, quia fit grauior seruitus, id est, pro stillicidio flumen. ff. de seruit. pr. vrb.

XLIIII.

Seruitus non tollendi altiùs ædes est ius, quo vicinus ultra præscriptum, certumq; altitudinis modum ædes suas tollere prohibetur.

§. item urbanorum. vers. & ne altiùs. Inst. de seruit. l. cum eo. 9. l. domus. 21. l. cuius. 24. ff. de seru. pr. vrb. l. altiùs. 8. & l. seq. C. de seruit. & aq.

XLV.

Qui non debet hanc seruitutem vicino, in infinitum ædes suas tollere potest, (a) etiamsi ædificatione vicino noceat, (b) modò non animo nocendi vicino, sed suæ tantum vtilitatis causâ id fecerit. (c)

a) *l. 1. ibi, quia cælum, quod supra id solum intercedit, liberum esse debet. ff. de seru. præd. vrb. d. l. altiùs. 8. & l. seq. C. de seruit. & aqua.* (b) *l. cum eo. 9. ff. de seruit. præd. vrb.* (c) *l. 1. §. deniq; Marcellus. 12. ff. de aqua & aq. pluui. arc. Duar. ad l. VIII. ff. de seru. pr. vrb. At vide l. vlt. C. de seru. & aq.*

XLVI.

Seruitus altiùs tollendi ædes est ius, quo contra vsitatum altitudinis modum, formam & statum lege ciuitatis definitum altiùs ædes tollere licet.

§. aequè. ibi, ius sibi esse altiùs ædes suas tollendi. Vbi vide Donell. Instit. de act. l. 1. l. 2. ff. de seruit. præd. vrb. l. 2. ff. de seruit. rust. præd. l. in tradendis. 7. §. 1. ff. comm. præd. iunct. l. 1. C. de seruit. l. 1. C. de ædif. priuat. l. qui luminib. 11. in pr. ibi, sciat se formam & statum antiquorum ædificiorum custodire debere. ff. de seruit. vrb. Donell. 11. comm. c. 5. pag. 570.

XLVII.

Seruitus non officiendi luminibus est ius, quo vicinus lumen, ex cælo veniens, vicino adimere, & obscurius facere prohibetur.

l. inter seruitutes. 15. & l. seq. ff. de seru. pr. vrb.

XLVIII.

Cuiusmodi seruitus plenior est, & plus habet, quàm seruitus non tollendi altiùs ædes. Etsi enim sub illa contineatur, (a) contra eam tamen quid fieri potest, etiamsi ædes non tollantur altiùs. (b)

a) *l. 4*

a) l. 4. ff. d. t. (b) l. inter seruitutes. 15. vers. quodcumq; igitur. & l. si arborum. 17. in pr. & §. 1. & §. 2. ff. eod. tit. Vid. Duar. lib. 1. disp. c. 33. & ad l. XI. ff. d. t. Sunt ergo hæc diuersæ seruitutes, non vna, licet hoc quidam velint.

XLIX.

Seruitus prospectus, siue quod idem est, ne prospectui officiat, est ius, quo ita nobis licet in patentia, & porrecta loca liberè prospicere, vt domino prædij seruiantis integrum non sit, quicquam facere, quo prospectum illum nobis auferat, impediatur.

l. edificia. 12. l. inter seruitutes. 15. & l. seq. ff. de seruit. præd. vrb. Ioan. Robert. Aurelian. lib. 4. sent. c. 7. & Cuiac. lib. 1. obs. 4.

L.

Sed non incommodè hoc loco quæritur, an iure communi liceat nobis aperto pariete nostro fenestras in eo positas habere luminis excipiendi causâ, per quas etiam in vicinum prospicere possimus fundum? Affirmantium sententiæ subscribimus.

Potest enim vnusquisq; in suo facere, dum in alienum nihil immittat. l. sicut. 8. §. Aristo. ff. si seru. vind. Qui autem respicit in vicini fundum per fenestram nihil immittit in eius fundum. Nam in loca publica, sacra, religiosa, nihil cuiquam immittere licet. l. 2. in pr. & §. locorum. ff. ne quid in loco pub. & l. 1. ff. ne quid in loco sacro. licet tamen omnib. ciuib. fenestras habere apertas in publicum, in cœmeteria, & cetera loca religiosa & sacra. Huic rationi accedit etiam autoritas Baldi & Dd. in d. l. Altius. C. de l. seru. & aq. Cap. de seru. vrb. pr. c. 62. & Don. lib. 11. comm. cap. 5. pag. 568. At dissentit Duar. lib. 1. disp. cap. 33. per l. pen. ff. de seru. pr. vrb.

LI.

Expositis speciebus seruitutis prædiorum, dispiciendum modò de eius constitutione: Circa quam generaliter obseruandum, quòd seruitus per partes acquiri vel imponi non potest: (a) neq; potest communi prædio per vnum socium acquiri, vel imponi: (b) vt neq; ex tempore, neq; ad tempus, neq; sub conditione, neq; ad certam conditionem constitui; si tamen hæc adijciantur, pacti vel per doli exceptionem occurratur, contra placita seruitutem vindicanti. (c)

a) l. fundus. 32. ff. de seru. pr. rust. l. si quis duas. 6. §. si quis partem. ff. com. pr. l. vt pomum. 9. §. 1. l. pro parte. 11. l. via. 17. ff. de seru. l. 3. ff. de seru. leg. Vid. Cui. tr. ad Affric. 6. in explic. d. l. fundus (b) l. 2. ff. de seru. l. proprium. 5. ff. com. pr. l. per fundum. 11. ff. de seru. rust. pr. (c) l. 4. in pr. ff. de seru. de qua leg. vide Cuiac. lib. 7. quæst. Papin.

LII.

Sed & neq; acquirere, neq; imponere seruitutè prædio potest, nisi præ-

di dominus; qui tamen ne quidem consentiente usufructuario seruitutem, per quam deterior ususfructus causa fiat, imponere potest, licet acquirere eo etiam invito possit. (a) Vnde nec tutor, nec curator fundo pupilli, vel adulti imponere seruitutem potest, (b) neque maritus fundo dotali, (c) neque heres fundo legato. (d)

a) *l. sed si. 15. §. vlt. & l. seq. ff. de usufr.* (b) *l. 3. §. pen. ff. de reb. eor. qui sub tut.* (c) *l. 5. ff. de fund. dot.* (d) *l. is cui. 11. §. vlt. ff. quemad. seru. am. l. si fundum. 105. ff. de condit. & dem.*

LIII.

Vasallus tamen non modo acquirere feudali prædio seruitutem potest, sed & imponere, quæ tamen seruitus domino obesse non debet, sed finito feudo extinguitur.

tit. 8. §. rei autem. & §. seq. lib. 2. feud.

LIIII.

Est autem seruitutis constitutio duplex; obligatoria, (a) & acquisitoria. (b)

a) *§. si quis velit. Inst. de seru.* (b) *l. si ego. 11. §. 1. ff. de publ. in rem act.*

LV.

Obligatoria seruitutis constitutio est, qua vicinus ad præstandam seruitutem obligatur. Estque conventionalis, vel testamentaria.

§. si quis velit. & §. seq. Inst. de seruit.

LVI.

Conventionalis constitutio seruitutis est, si pacto, vel contractu, puta stipulatione, emtione, venditione, donatione seruitus alicui promittatur.

d. §. si quis velit vicino. Inst. h. t. l. 5. l. quotiens. 20. ff. de seru. & l. 3. §. si iter. ff. de act. emt.

LVII.

Testamentaria seruitutis constitutio est, si quis testamento suo alicui seruitutem relinquat; veluti si quis suo testamento, aut codicillis heredem suum damnet, ne alius tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat, vel ut patiat vicinum immittere in parietem tignum, stillicidium hæc habere; vel ut patiat eum per fundum ire, agere, aquam hæc ex fonte ducere.

§. vlt. Inst. de seru. l. potest. 16. Com. præd. & t. t. ff. de seru. leg.

LVIII.

Prædictis modis constituta seruitus actione personali petitur.

l. actionum genera. 25. in pr. vers. in personam actio. ff. de O. & A.

Adqui-

LIX.

Adquisitoria seruitutis constitutio est, qua ipsa seruitus realiter acquiritur. Eaqu; tribus fit modis; quasi (a) traditione, diuturno usu, siue longa quasi (b) possessione, & ipso iure.

a) *Seruitutis vera traditio non est. l. 3. §. si iter. & ibi gl. ff. de act. emt. l. seruus. 43. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* (b) *Proprie possidentur, quae sunt corporalia. l. 3. in pr. ff. d. r. Sed quasi possidentur incorporalia, vt seruitutes. l. ait praetor. 23. §. item ei. ff. ex quib. caus. maior.*

LX.

Quasi traditione acquiritur seruitus dupliciter; primò inductione in praedium seruiens; veluti si is, qui concedit seruitutem, in fundum suum inducat eum, cui constituit seruitutem, ea voluntate, vt ita ei quasi tradat seruitutem. Deinde patientia, vt si quis patiatur in re sua vti seruitute eum, cui vel conuentione, vel testamento constituta est seruitus, illiq; caueat, per se non fieri, quo minus vtatur.

l. si ego. 11. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 1. in pr. ff. de seru. praed. rust. §. vltimo. ibi, vel vt patiatur. Instit. de seruit. l. 3. §. si iter. ff. de act. emt. & vend. Et facit l. 3. in pr. ff. de vsufr.

LXI.

Diuturno usu seu longa quasi possessione bifariam seruitus acquiritur. Primò, si alicui à non domino ex iusta alienationis causa seruitus quasi tradita sit, is autem longo tempore, puta decem annis inter praesentes, & viginti annis inter absentes, etiam ignorante vero fundi domino, vtatur ea seruitute, diuturno usu & longa quasi possessione ipsam seruitutem nactus dicitur.

l. 1. §. vlt. ff. de aq. & aq. plu. arc. l. 2. C. de seru. & aq. l. vlt. in fin. C. de longi temp. praescript. Cuiac. ad l. 4. §. libertatem. ff. de vsucap.

LXII.

Deinde si quis per idem tempus absq; alienationis causa, siue quasi possessionis titulo in praedio alieno, sciente, & non prohibente domino iure seruitutis vtatur, similiter eam seruitutem acquirit.

l. si quis diuturno. 10. ff. si seru. vind. l. apparet. 5. §. si quis seruitutem. ff. de itin. actuq; priu. l. 2. ibi, eo sciente. C. de seruit. & aq. Vide Donel. lib. 11. comment. c. 12. Forcat. ad l. 14. n. 15. & seq. ff. de seru. Longouall. ad L. imperium. ff. de iurisdict. pag. 270. Vvesenb. in parat. ff. de seru. n. 6.

LXIII.

Hoc tamen modo acquisita seruitus, quasi seruitus appellatur, (a)

r 3

& vicem

& vicem seruitutis obtinere dicitur, (b) actio item, quæ pro ea seruitute comparata est, utilis actio dicitur. (c)

a) *l. 1. §. vlt. ff. de aq. & aq. pluu. arc.* (b) *l. 1. C. de seru. & aq.* (c) *l. si quis diurno. 10. in pr. ff. si seru. vind.*

LXIII.

Sed nunquid etiam longa quasi possessione acquiritur seruitus, quæ non certam & continuam, sed discontinuam (vt vocant) possessionem habet? Nos ad adfirmatiuæ defensionem proniores sumus. (b)

a) *Discontinuum seruitutem Dd. appellant, qua continenter vt i non possumus. Et hanc non longi temporis præscriptione adquiri, sed tanti cuius initium memoriam hominis excedat. Vide Didac. Couar. in c. peccatum. de R. I. in 6. c. 16. n. 11. Franc. Balb. tract. de præscr. p. 2. quartæ principalis, q. 1. pag. 199. & seqq. Bernh. Vvarmbf. lib. præct. obs. tit. 27 de seru. obs. 1. vide quoq. Vasq. 2. contr. illustr. c. 65. n. 7. (b) Per l. 1. §. vlt. ff. de aq. & aq. pluu. arc. l. apparet. 5. §. si quis seruitutem. ff. de itinere actûq. priu. Duar. lib. 1. disp. c. 34. Vues. in par. ff. de seru. n. 4. in fi. Pet. Costal. ad l. seruitutes. 14. ff. de seru. & ad l. foramen. 18. ff. de seru. pr. vrb. Donel. lib. 11. comment. c. 11. pag. 594. in fi. & pag. seq. Vbi pulchrè Doctores aliud sentientes refutat. Sed obstare videtur l. 3. §. ductus. ff. de aq. cott. & est.*

LXV.

Ipso iure acquiritur seruitus vel natura, vel lege. Naturâ quæ acquiritur, ea est, quam inferior fundus semper debet superiori, vt naturâ profluentem aquam excipiat.

l. 1. §. pen. & vlt. ff. de aq. & aq. pluu. arc.

LXVI.

Lege acquiritur seruitus, quam ius ipsum ciuile alicui constituit, scriptum, (a) vel consuetudinarium. (b)

a) *Seruitutis iure scripto constitutæ exemplum extat in l. vlt. §. vlt. C. de seru. & aq.* (b) *Seruitutis consuetudine alicui constitutæ est exemplum in l. venditor. 13. §. si constat. ff. comm. præd. Vide Cæp. de seru. vrb. præd. c. 25. n. 2. & c. 39. n. 2.*

LXVII.

Restat seruitutis prædiorum amissio. Amittitur autem hæc seruitus tum remissione, & non vtendo: tum confusione & interitu prædij.

LXVIII.

Remissione amittitur hæc seruitus, si vicinus, ad quem pertinet hæc seruitus, permittat vicino, domino prædij seruiantis, vt quid faciat in suo illo prædio, quo facto seruitus impediatur.

l. si stillicidij. 8. ff. quemad. seru. am. l. precario. 17. in fin. ff. com. præd.

Non

LXIX.

Non vtendo amittitur seruitus, si vicinus, cui seruitus debetur, inter præsentes decennio, inter absentes vicennio, non vtatur ea seruitute.

l. sicut. 13. & l. seq. C. de seru. & aqua. l. si communem. 10. in pr. l. nam satis. 6. §. 1. vers. sed si is fundus. ibi, aut non utendo deperire. l. si stillicidij. 8. in fin. ff. quemad. seru. am. l. vna est via. 17. ff. de seru. præd. rust. l. si eo loco. 9. §. fin. ff. si seru. vind.

LXX.

Et quidem si rustici prædij seruitus fuerit, sola eius, cui debetur ea seruitus, cessatione amittitur, nec est opus facto eius, cuius prædium seruit.

l. si partem. 19. §. si per fundum. ff. quemadmodum. seru. am. Didacus Couar. in c. possessor male fidei. tit. de R. I. in 6. secunda parte relection. in pr. n. 8. Cuiac ad Iul. Paul. lib. 1. sent. tit. 17. & ad l. 4. l. iusto. 44. ff. de vsucap.

LXXI.

Quòd si vrbanj prædij seruitus sit, ea cursu prædicti temporis non vtendo eatenus amittitur, quatenus is, cuius prædium seruit, vsucapiat libertatem; veluti si quis ad impediendam seruitutem agat. Si enim cum tibi prædium meum vrbanum seruitutem deberet, ædes altius non tollendi; ego autem per prædictum tempus ædificatum altius habeam, sublata erit ipsa seruitus.

l. 6. 7. l. ædes. 32. in pr. & §. 1. ff. de seru. pr. urb. l. si quis alia. 18. in fin. ff. quemad. seru. am. Cuiac. d. lib. 1. sentent. Pauli. tit. 17. & ad l. 4. l. iusto. 44. ff. de vsucap.

LXXII.

Cæterum vbi hac lege constituta fuerit seruitus, vt non nisi alternis annis, vel mensibus, vel vno die per quinquennium ire, agere liceat, duplicato prædicto tempore amittitur ea seruitus.

l. si sic constituta. 7. ff. quemadm. seru. am. l. vlt. C. de seruit. & aq.

LXXIII.

Neq; tamen tutor, neq; curator, in pupilli adultiue prædio, neque maritus in prædio dotali remittere vel amittere seruitutem potest, (a) & vsufructuarius non vtendo seruitutem amittens, proprietario eo nomine tenetur, (b) vt & is, cui precario res concessa est, si dolo, culpaue id fecit: (c) & creditor, cui fundus oppigneratus fuerat, (d) & qui per vim abstulit. (e)

a) *l. 3. §. penult. ff. de reb. eor. l. si communem. 10. ff. quem seru. am.* (b) *l. sed si quid. 15. §. vlt. ff. de vsufr.* (c) *l. quæsitum. 8. §. si seruitute. ff. de precario.* (d) *l. creditor,*

ditor. 15. ff. de pignorat. act. (e) l. metum autem. 9. §. penult. ff. quod met. causa. l. semper. 15. §. hoc interdictum. ff. quod vi aut clam.

LXXIII.

Confusione amittitur realis servitus, si idem vtriusq; prædij, id est, prædij serui, & prædij dominantis, & quidem totius (a) dominus esse cœperit. (b)

a) Per partes enim retinetur servitus. l. vt pomum. 8. §. 1. ff. de seru. nec extinguitur servitus, si ea mihi per plures fundos debeatur, & ego saltem summum & medium fundum adquiram. l. tria prædia. 31. ff. de seru. præd. rust. l. si cum servitus. 15. ff. quem. seru. am.

LXXV.

Interitu prædij servitus amittitur, si prædium seruiens, vt per quod via, iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatum sit.

l. si locus. 14. ff. quem. seru. amitt. De amissione servitutis vide quoq; Bernhard. Vvurmser. lib. pract. obs. tit. 27. de servit. obs. 3.

LXXVI.

Non est hoc loco ignorandum, quod via publica per impetum fluminis vel ruinam amissa, vicinus proximus in suo prædio viam præstare tenetur.

d. l. si locus. 14. §. 1. ff. quemadmod. seru. amit.

FINIS DISPUTATIONIS

SEPTIMÆ.

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3
003 261 573



sb

Einband. 3/1.







285.

Disputatio VII.

VITVTIBVS VRBANORVM
& rusticorum prædiorum.

QVAM,

eo clementer adiuuante,

SVB PRÆSIDIO

ARISSIMI,

VLTISSIMI QVE

ON. HENRICI BOCE

T IN ILLVSTRI TVBINGEN

emia Antecessoris celeberrimi, Præceptoris
sui summa obseruantia co-
lendi:

NARI EXERCITII GRA-
tia, hora locoq³ consuetis,

Discutiendam proponit

chaël Beringer Ulbachensis,
Hebrææ linguæ Professor.



TVBINGÆ,

apud Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

9

